



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Henōtikon siue Pacificatorivm Dissecti Belgii

Afhakker, Aegidius

Vrsellis, 1618

Capvt II. Opus esse controuersiarum Indice.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64709)

saeculis veritatis hostibus Deus, vt eos exerce-
rent, permiserit; particulare aliud querendum
est medium, quo & errantibus certa veritas
demonstretur & improbis, quo minus turba-
re Ecclesiam valeant obex praualidus obij-
ciatur.

CAPVT II.

Opus esse controuersiarum Iudice.

DIco breuiter: Ad finiendas religionis con-
trouersias opus est sententia definitiua,
qua vna repugnantium sententiarum tanquam
falsa reijciatur, altera vero pro vera approbe-
tur, ita vt haec sententia vtrique contendenti
parti sit regula cui conformare intellectum
suum debeant. Haec propositio, praeterquam
quod, ipsa teste experientia, etiam inter ma-
xima doctissimorum Theologorum ingenia
locum habeat (horum enim quisque dum pro-
prium ingenij lumen aut priuatum spiritum
sententiae suae normam statuit, ut quam diu
sectas pugnantisque opiniones alter ab al-
tero non recedit?) absque omni controuersia
necessaria esse conuincitur pro ijs, quibus
diudicanda per semetipsos veritatem de-
monstrari non suppetunt. Nunquid enim omnes Doctores
& nunquid omnes interpretantur? Certe longum
max

*Vid. part.
1 pag. 28*

*1. Corint.
12, 19.*

maxima Christianorum pars aut ne legere quidem scripturas valet aut cōtrouersias quæ inter doctos absque modo & fine cumulantur dispiciendi nec otium habet nec facultatem. Nisi ergo hi habeant alium cuius sequi sententiam tuto possint & debeant, de veritate nihil omnino statuere, adeoque alteri controuersiarum parti adherere non poterunt, quod tamen ni fecerint, fidei sæpè fundamenta deserent, & in schismate, cui se parti coniungere debeant ignorabunt. Quæ certè res lacrymis potius quàm verbis multis prosequenda est; Siquidem totius Christiani orbis obiectum mentis oculis theatrum quot immortalium animarū habet myriades, quæ (schismate diuisis hæreseosque se mutuò damnantibus ijs à quibus institui debebant, pastoribus,) per imprudentiam schismatis, malarumque opinionum factæ participes, æternum faciunt salutis naufragium? Contendunt sectarij omnes, in Ecclesia Romana salutis fundamentum prorsus esse euersum. Negant id quotquot in Europa, in India, Iaponia, China, America infinito pene numero de eiusdem Ecclesiæ sibi communi gratulantur. Disputatur vtrimque acriter, scribendorū librorum nullus est finis. Idem fit inter ipsos veritatis Catholicæ aduersarios. Misellus interim populus quid faciet? quo iudice lupum sub ouina verbi diuini

uini

uini pelle latentem internoſcet? Si extraordinariam Dei potentiam nuſquam promiſſam, nuſquam apparentem in remedium non traxeris, utique iudicio tali inter contendentes opus eſt, quo falſitate dānata, veritas auctoritate legitima comprobetur.

C A P V T III.

Conditiones qua huic Iudici ſunt neceſſarie.

Cum igitur eum in finem Iudice opus ſit in Eccleſia, ut lites circa Religionis negotia ortas definitiua valeat ſententia terminare: quo facilius, quis hic ſit Iudex, innotefcat, conditiones quaſdam eius ad ferendū hoc iudicium requiſitas oportet inſpicere. Harum igitur hæc ſtatuatur prima.

*Conditio
Prima.*

I. Iudex controuerſiarum fidei & morum habere debet auctoritatem Doctōris ſuper fideles tanquam ſuos diſcipulos. Comprehendit Dominus noſter hanc auctoritatem ſub ſuauiori vocabulo *paſtoris*, quo ſemetipſum non ſemel appellauit, *Ioan. 10.* licet à diſcipulis communiter *Rabbi*, id eſt, *Magiſter* ſeu *Doctōr* vocaretur. Quod autem hæc *docendi* ſeu *ſana Doctrinā* fideles *paſcendi* auctoritas controuerſiarum Iudici neceſſaria, ex eo probatur, quod munus illius ſit determinare verum, (ſicut pro aliis communiter tribunalibus determinatur ius ſeu iuſtum) idq; fidelibus tenendū cum auctori-